Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Comoedia nova de Titi et Gisippi amicitia

Speccius, Christoph

[Altdorf], 1623

Titi oratiuncula purgatoria

urn:nbn:de:bsz:31-138628

Visual Library

Simpl. Haud sic decet. Sed licetne mihi liberè exponere sententiam meam.
Eumel. Omninò, hujus enim gratiâ te accersi jussimus.
Simpl. Dico itaq; Titum nunc temporis reum petere id, quod est æquissimum. Si enim accusare sufficiat, nemo erit insons. Et nisi hoc fiat, nunquam conveniemus.
Eum. Loquatur ergo.

TITI ORATIUNCULA purgatoria.

VOs omnium ordinum honoratissimi homines vehementissimè culpatis, quod Sophronia mihi nupserit, quam vos Gisippo desponderatis. Verum enimvero si diligenter consideraveritis, atq; curiosè pensitaveritis, quod fata â principio ita constituerant, ut Sophronia non Gisippo, sed mihi in matrimonium collocaretur, sicut res ipsa in præsenti apertissimè ostendit, ab illa culpa me immunem esse dicetis, ideoq; absolvetis. Et quamvis Sophroniam furtim ac dissimulanter uxorem acceperim: attamen non sicut raptor eam violavi,

lavi, neq; sicut hostis impudicè habui. Verùm cum Sophroniæ formositate inflammatus æstuarem, videremq; me nequaquam illius connubio posse potiri, si eam â vobis (prout fieri solet) depoposcissem: usus sum arte clandestina, quæ nunc vobis facta est manifestaria. Præterea quamvis ego afflictim Sophroniam deperirem, non tamen ut amator, sed ut legitimus conjux suos optatissimos amplexus concupivi. Etenim ipsa locupletissimum testimonium exhibere potest, non prius, cum ea me concubuisse, quàm verbis solitis atq; conceptis & annuli arrhâ legitima mihi uxor efficeretur. Quum eam interrogaverim, an mihi nubere vellet, & ipsa se non nolle responderit. Quod si deceptam esse se existimatis, non sum ego coarguendus, sed ipsa objurganda, quæ quisnam ego forem quærere supersederit. Hoc ergo est illud atrox delictum. Hoc est illud maximum flagitium. Hæc est illa capitalis fraus, quam ego amore tabescens, unà cum Gisippo commentus sum, ut scilicet Sophronia clanculùm atq; secretò ignara nuberet Tito Quintio. Nunc autem tempus venit, quod à me nondum expectabatur, videlicet, ut pater meus moreretur, propter cujus obitum mihi necessarium est Romam mi-

grare. Quocirca cùm mihi in animo sit, Sophroniam mecum in patriam ducere, vobiscum ea communicavi, quæ alioquin adhuc occuluissem. Si prudentes eritis, hoc animo æquissimo feretis. Nam si vos fallere, aut contumelia afficere voluissem, potuissem Sophroniam vobis illusam, ludificatamq; relinquere. Sed hoc Dii prohibeant, ut in Romano Spiritu tanta labes, tantaq; nequitia queat hospitari. Erit igitur mea Sophronia, partim propter voluntatem Deorum & authoritatem legum humanarum; partim propter laudabilem Gisippi mei solertiam, & mei ipsius astutiam amatoriam. Dixi.

Cand. Potestis uterq; paululum secedere. Egregiè me hercle disseruit Titus de voluntate DEORUM immortalium, quod videlicet nihil citra illorum voluntatem hominibus accidere soleat. Et quis quæso est, qui negare audeat, conjugia esse fatalia? Hoc igitur si probè consideraverimus, ut omninò considerandum est, factum illud non modò excusatione ac veniâ dignum: Sed etiam ipsum Titum ob familiam illustrem, eruditionem raram, mores deniq; politos,

tos Sophroniâ vestrâ dignissimum dico, censeo, atq; judico.

Simpl. Et ego, ex animi mei sententia, ut loquar, mi Eumelecte, nullam ferè causam deprehendere possum, ob quam Titus ullâ contumeliâ aut ignominiâ sit afficiendus. Si enim factum cum circumstantiis suis perpenderimus, deprehendemus ex singulari DEORUM immortalium providentiâ factum esse. Si hominem ipsum intueor, dignum eum judico Sophroniâ cùm ob generis nobilitatem, atq; divitiarum copiam; tùm ob singularem eruditionem atq; facundiam.

Eumel. Quamvis totus animus meus contra illum antea excandescebat, nunc tamen oratione suâ doctissimâ tàm placidum eum reddidit, ut ne hiscere quidem contra illum queam: Ideoque nolens volens & illi & vobis assentior. Quid tu verò uxor dicis? consentisne?

Epim. Quando vobis omnibus ita placet, cur mihi displiceat soli? Multa quidem afferri possent, ob quæ pœnâ atro-

cissimâ dignus esset: Sed ne illud viris pervulgare rursum mihi obtrudatis: Mulieres semper reluctari maritis suis, malo in vestram sententiam ire, quàm unicum verbum mutare.

Cand. Facis quod morigeram mulierem decet. Cæterùm & hoc videndum est, quæ sit sententia Sophroniæ. Nisi enim nobis consentiat, operam profectò ludimus.

Eumel. Sophronia.

Soph. Quid est mi Pater?

Eumel. Quid hic actum sit, id percepisti?

Soph. Probè.

Eumel. Et quid tandem conclusum sit, id tenes?

Soph. Teneo: nempe ut inter me & Titum novas nuptias concilietis.

Eumel. Modo tu etiam annuas.

Soph. Si ita vobis placet. Nam virgo nulla est, quin sit mala quæ præter sapit, quàm suis parentibus placet.

Eumel. Ergò tu annuis.

Soph. Si vobis ita lubet. Et cur ego vellem obniti, cum potissimum sim in causa

causa hujus rei. Debebam enim circumspectius egisse, atq; diligentius quæsivisse, num esset ille Gisippus, qui annulo digitum meum ornabat. Sed cur hæc commemoro, quæ animum exacerbare vestrum possent? Consentio.

Cand. Nihil jam restare video, nisi ut intrò vocentur.

Eumel. Puer.

Puer. Adsum.

Eumel. Jube Titum cum Gisippo regredi.

Puer. Fiet.

Eumel. Quamvis Tite anteà constitueram factum illud tuum ad senatum deferre, ut pœnâ, facto illo dignâ afficeris: Tua tamen oratio, atq; sermones amicorum meorum eò me perduxere, ut animum mutarem meum, atq; æquo animo ferrem omnia: Teq; pro genero nunc agnoscerem. Speramus autem Te facturum, quod Te decet.

Tit. Omnino.

Eumel. Nunc igitur, quod fœlix & faustum sit, filiam meam tibi despondeo,

eamque de novo quasi domum tecum duco.

Epim. Et ego una.

Eumel. Vos amici dilectissimi nos comitari non dedignabimini.

Simpl. Faciemus animo promptissimo. DII Immortales vestrum hoc connubium secundent.

ACTUS QUINTI

SCENA PRIMA.

Gisippus, Cingari.

Gisippus.

ADmodum sapienter fecisse videri possunt, qui fortunam volucrem, cæcam, variamq; finxêre. Nihil enim hac una inconstantius est, nihilq; magis variabile. Nunc blanda & indulgens, nunc sæva & infesta. Nec ullis infestius irascitur, quàm quos indulgentissimè fovit, fitq; ex matre subitò noverca, ex noverca mater: Nec si quæratur causa, alia